



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

XIV. Profectio Gasparis in Chale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

Lusitanos. Ex eius conuersione magnam in spem ventum est, totam illam insulam breui fore Christianam: atque indigenæ sanè plerique dicebant, filios parentis breui exemplum (tanti apud eos erat) secuturos. Ipse verò sua salute non contentus, sperare se plures ad Christianam fidem adducturum, quàm quot haberet in corpore pilos, dictitabat. Nec spem fefellit euentus: nunquam ex eo tempore in D. Pauli collegio deerant catechumeni, quibus multi sacris aquis frequenter tangebantur.

## CAPVT XIV.

*Profectio Gasparis in Chale.*

**I**NTERIM dum eo cursu Goæ res Christiana vel Gasparis vel sociorum sudore procedit, tristes de B. Xauerij in Commorino gloriosa, sed atroce nece seruntur rumores: faciebantque fidem enumerata sigillatim tormenta. Quod vt auditum est, subitò tâta fuit Goæ comploratio, quanta in communi

omnium parente non fuisset. Ea res, nec alia magis aperuit, de B. Xaue-  
rio quid homines iudicarent. su-  
bitò coepta sunt admirabilia ope-  
ra, quæ quisque vel viderat, vel cer-  
tis auctōribus audierat, aperiri: &  
passim dicebatur corpus eius quo-  
libet pretio conquirendum, sancti-  
tatis pignus futurum Indicæ vni-  
uersæ. Nec defuit cui quinque mil-  
lia ducatorum iam certum erat in  
eam rem expendere. Sed breui duo-  
rum Patrum ijs ex locis aduentus,  
P. Cypriani, & P. Emanuelis Mora-  
lez, eum rumorem extinxit. Hi de  
Francisco alia omnia referebant: in  
Commorino esse, tantoque ap-  
paratu à Christianis exceptum, vt  
studio ingressum Domini in sanctā  
ciuitatem viderentur in eo excipiē-  
do voluisse imitari; dispersis temerè  
in vias ramis, stratisque vestibis,  
qua erat transiturus: & quoniam ne  
asino quidem vehebatur, sed pedes,  
eum in vlnas sublatum quantumuis  
repugnantem in ædem sacram in-  
tulisse. Ea res lætissima accidit vni-  
uersæ

*De B.  
Xauerij  
sanctita-  
te quid  
populus  
senserit.*

uersæ ciuitati: sed cum eum non ita  
 multò post inde redeuntem Goæ  
 conspexerunt, tum demum ita ex-  
 ceptus est, ac si Deus illum ad vitam  
 utilitati publicè reuocasset. Inte-  
 rim dum adhuc aberat, vt ad Gaspa-  
 rem reuertamur, in Lusitanorum  
 arcem Chale dictam in ora Mala-  
 barica, haud procul Calecutò, à suo  
 est Rectore eo consilio amandatus,  
 vt istic Collegio locū quæreret, cū  
 ijs instituendis, qui recens in Socie-  
 tatem admitterentur, tum adiuuan-  
 dæ oræ Malabaricæ opportunum.  
 Tentandæ rei illius potius quam  
 perficiendæ hæc anteuerat occa-  
 sio. P. Antoni<sup>9</sup> Gomez, Rector Goa-  
 nus, Proregis & Episcopi rogatu ad  
 Regem Tanor fidei nostræ candida-  
 tū, sacris mysterijs imbuendum, se  
 contulerat; eo in itinere, quod erat  
 per oram Malabaricam, multi mul-  
 tos è nostra Societate petiuerant;  
 sed cum satisfieri per nostrorū pau-  
 citatem non posset vniuersis, id cō-  
 silij ceperat Rector, vt in Chale lo-  
 co percommodo ad excurrendum:

Malabria tota Collegium instituē-  
dis tyronibus in spiritu ac litteris  
erigeretur: quod vt perficeret, Gas-  
parem iam satis probatum, & con-  
cionibus celebrem eò amandat cū  
potestate, vt de tota re statuat pro  
arbitratu. Venit eò Gaspar, & præ-  
ter reliquum inter milites Lusita-  
nos fructum, breui rem eò perdu-  
xit, vt iam non tenuiter posse vide-  
retur inchoari: iam ædes & hortum  
secundum flumen, eumque muro  
conclusum compararat, quòd locus  
hic & amœnissimus & maximè ha-  
beretur salutaris. Item 70. pardaos  
annuo censu. eleemosynæ nomine  
impetrarat. Interea verò dum hoc  
vrget, vt erat ei à rectore manda-  
tum, Xauerius è Commorino Goam  
rediens superuenit, qui rem diligē-  
ter excussam, adhuc operariorum  
urgente penuria, iudicauit imma-  
turam. Itaque non segnior omitte-  
re, si ita iuberetur Gaspar, quàm ali-  
quod negotium promouere, mox  
rem totam panè in exitu positam  
destituit, & Goam re infecta cum

B. Xa-

B. Xauerio reuersus est, vt si quod fuerit eius rei conficiendæ Gasparis desiderium, B. Patris facile sit consortio compensatum. Ea re semel disturbata, in loca celebriora vicina, quæ frugem maiorẽ promittebant, consilium & studium collatum est.

## CAPVT XV.

*Rectoris munus deprecatus Armauziam destinatur.*

**A**VDIERAT iam plurima de Gaspare B. Xauerius, & etiã nuper ex itinere notum, vt erat sagacissimus in aliorũ penetranda perfectione, hominem erat admiratus, animoq̃ue illum suo ad magna omnia destinabat. Primarijs autem Indiæ locis ferè prouiderat hæctenus; Armauziæ illum coquebat cura, cui emporio in rebus spirituales ferè deposito, quòd ipse sibi illam prouinciam reseruasset, nondum erat subuentum. Erat B. Xauerius ex ijs Imperatorib⁹, qui nõ modo nunquã plus militi suo impone-